



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 115. Specialis Congregatio ante primam Sessionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

actionem solemnem supplicatione Deo ex-  
solvendam decrevit. Dicta die, scilicet  
decima Novembris Patriarcha Constanti-  
nopolitanus, & Magnus Rhodiorum Ma-  
gister Constantiam ingressi sunt.

Omnes certatim ad Concilium con-  
fluebant, aut saltem eo venire pro viribus  
allaborabant. Parisiis quoque occasio-  
ne hujus Synodi decima Novembris die  
solemnia coacta fuere comitia, in quibus  
de eligendis Deputatis, qui ad Synodum  
mitterentur, deliberatum fuit, simulque  
definitum, quid subsidii unicuique eorum  
durante absentia ad victum aliaque ne-  
cessaria assignari deberent.

## §. CXV.

*Specialis Congregatio ante primam  
Sessionem.*

Quinta usque ad decimam sextam No-  
vembris, quæ dies erat indicta pro  
prima Sessione, plures Congregationes  
celebratæ fuerunt, in quibus de ordine  
servando, & de materiis postea discuti-  
endis consultatum fuit. Harum nonnul-  
lus ipse Pontifex adstitit. Ast Congrega-  
tioni non interfuit die duodecima Novem-  
bris habitæ, in qua scriptum aliquod in-  
strumentum recitabatur, plures articulos  
de securitate ac Concilii libertate com-  
plectens, declaransque, nominandos esse  
Promo-

Sæcul. XV.  
A. C. 1414.

Marten.  
Thes. nov.  
anecd. tom.  
2. p. 1539.

Vander  
Hardt tom.  
4. p. 14.



Sæcul. XV. Promotores, ac Procuratores, qui unio-  
A.C. 1414. nem Ecclesiæ ejusque reformationem  
 promoverent; his adjungendos esse ex  
 qualibet Natione idoneos Doctores, qui  
 tempore Sessionibus intermedio, diebus  
 fixis convenirent, omnesque, quibus ali-  
 qua proponenda occurrerent, perciperent,  
 de auditis vero Patres post Promotorum  
 relationes in subsequentibus sessionibus  
 deliberarent. Denique ad colligenda  
 suffragia eligendos esse Prælatos, unacum  
 quibusdam Notariis, & priusquam de  
 reformatione tractaretur, ante omnia  
 agendum esse de unionis negotio. Cuncta  
 hæc complectebatur prima illius instrumenti  
 pars, quæ in Congregatione sequenti die  
 decima quinta ejusdem Mensis habita  
 summo Pontifici exhibita est. Altera vero  
 illius pars articulum de cessione Pontificatus  
 spectabat, in qua declaratum, Joannem  
 XXIII, si id Synodus pro bono Ecclesiæ  
 necessarium duxerit, ad Papatus cessionem  
 teneri. Hic tamen articulus celabatur  
 Pontifici, Patres enim haud temere  
 suspicabantur, hunc ab illo utpote  
 proposito suo contrarium nunquam  
 approbatum iri.

## §. CXVI.

*Supplex libellus in alia Congregatione  
 Pontifici porrectus.*

Joannes articulos primæ partis præfati  
 instr.

*Onuphr.  
 p. 246.*